

Forfatter: Worm, Jacob

Titel: . - [1968]

Citation: Worm, Jacob: ". - [1968]", i Worm, Jacob: . - [1968], udg. af ERIK SØNDERHOLM , [1968]-1994, s. 74. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-worm01val-shoot-idm140677735074656.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: . - [1968]

## ELEGIA ECCLESiarUM CHRISTIANARUM

Luge sacratissima Jesu Ecclesia, et moestos mecum decanta elegos; luge et lamentare; luge extinctos veritatis Soles! lamentare exorientem vanitatis Planetam; luge tumulum defunctorum Patrum, et retro luctuosa respice contumulatos divorum corporum cineres; lamentare Adolescentem furibundum, Patrem præcocem, pomis præcocibus Judææ, quæ compressa in fumum abeunt et vaporem, simillimum. Qvippe qui videri avet Pater Ecclesiæ, cum vix ejus factus sit filius; luge sanctissimos Pontifices emortuos; lamentare Papalem pullum, et Episcopalem catulum, Ecclesiæ non præfectum, sed violenter et fraudulenter obtrusum. Luge avolantes Aquilas, Cygnos, Olores, et Alaudas; lamentare advolantem et pipientem Fringillam, atque Anserculum inter Olores gratitantem; non Pastorem, sed Pistorem, et Impostorem futilem ac fulminantem, atque majora, quam capit, spirantem. Luge Pastores gregis sacri in sacro opere fervidos. Lamentare tepidum Laodicensium Angelum, qui non Svecus, non Danus, non Scanus, sed ex tribus his confusus et mixtus in unum coaluit monstrum Chimericum, Cerbericum. Natus sub sceptro Danorum, et sub eodem altus atque educatus, in castra depositurus cornua transiit Sveciæ, mox et statim coelum, solum et salum mutans, sed non mutans animum, polum repetiit Danorum, ut vespertilio a suis / avolans transfuga. Heic ornatus laureâ donatus privilegiis, et enutritus munificentia, auctus stipendio, terras invisit exteras. Reversus adoravit Svecorum venerabundus sceptrum. Designatus Ostiarius ordinis Professorii haud ordinarius. Jnde iterum, Jurejurandô violatô, faciens μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, et canens palinodiam, Danorum oras ingressus est, relictô liminari punctô Professoriô. Atque heic (proh Dei, ac bonorum omnium fidem) adminiculante et obstetricante Vulvâ Vinariâ